Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 189
Quelle:
Copyright:

Est is, cui *Henricus* noster Tractatum contra *Theolofori* Vaticinia inscripsit. 4) *fol. eod.* saepe relata a nobis Epistola *Luciferi* ad Praelatos ecclesiasticos: *Lucifer princeps tenebrarum tristia profundi regens acherontis imperia* &c. quae teste *Pezio Dissert. isag.* in T. I. *Thes. Anecd.* p. 79. in Cod. *Tegerns.* diserte *Henrico* tribuitur, licet in *Mellic.* absit nomen. 5) demum Index materiarum in *Commentaria in Genesin supracit.* ut adeo, quae inter hunc et ipsa *Commentaria* intercepta sunt, pariter ad eundem *Henricum* referenda esse videantur.

Volumen IX. (Cod. 484.) *Lectura M. H. de Hassia super primo et secundo capitulis Genesis.* En aliud Exemplum novum, quod Academiae, ut praefertur, obvenit testamento *M. Thomae Haselbachii.*

Volumen X. (Cod. 485.) Pars altera novi hujus Exempli. *Lectura M. Heinr. de Hassia super tertium capitulum Genesis.* An ultra *Caput* istud commentando unquam progressus sit Noster, mihi saltem non constat; hic enim omnes etiam alii adlati Codices sistunt.

Volumen XI. (Cod. 475.) complectitur utrumque *Prologum biblicum* Nostri jam supra *Vol.* I. et alias productum, hic vero sic subscriptum: *Explicit — per fratrem Conradum Pülenreüter de Amberga Conuentualem Sancti Michahelis in Weybensteuen anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo.* Accedit 1) *Magistri Henrici de Hassia* ad Canonicos Sermo, qui incipit: *Ecce nos reliquimus omnia* &c. *Nouistis fratres dilectissimi* &c. et subscribitur: *Explicit Epistola Reuerendi Doctoris Magistri Hainrici de Hassia Canonicis regularibus in Newnburge scripta de modo in communi sine proprio viuendi anno Domini* XXX. Saepius a nobis adlatus epistolaris hic Tractatus novo igitur Codice contra *Pezii supracit.* dubia *Henrico* adseritur. 2) ut e calce praeoccupo, *Collatio facta per bonorabilem virum Magistrum ac Dominum Johannem Tagersbaim Licentiatum in Decretis Canonicum Ecclesie Frisingensis in monasterio sancti Michahelis in Weybensteuen in presentia fratrum ibidem existentium anno quo supra.* Init: *Sacra scriptura improperat iudayco populo vicium ingratitudinis* &c. De Coenobio *Weibenstephanensi Frisingae* vicino, jam a. 1020. Benedictinis reddito adi, si lubet, *Monumentor. Boic.* T. IX. p. 341. Additum S. *Michaelis* nomen jam ab a. 1138. in Traditionibus comparet. Visitationem Monasteriorum per *Joh. Grünwalderum* Vicarium Gen. *Nicodemi* Ep. *Frisingani* ab a. 1427. coepisse video in *Car. Meichelbeckii* Historia T. III. p. 204. qui mox p. 208. in Serie Canonicorum ad an. 1429. Oratorem nostrum *Joh. Tagersbaimer* simul *Plebanum in Kingstorff*, et p. 223. ad an. 1439. eundem *de Dagersheimb* jam *Scholasticum* refert.